

belles cuiuscumque dignitatis, status, nobilitatis, præminentie, vel conditionis fuerint, etiam si Pontificali, Regali, Reginali, aut alia quavis, Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeant, per censuram eandem, appellatione remota compellant, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

Contrariis omnibus derogat.

§. 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, illis præsertim, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem & diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis, ultra unam diem a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede deputati prædicta extra civitatem, & diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, ac alii, vel alius vices suas committere, seu aliquos ultra unam diem a fine Diocesis eorundem trahere præsumant, ac de duabus dietis in Concilio generali, & personis, ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, & aliis constitutionibus, & ordinationibus, necnon privilegiis, indulgentiis, concessionibus, statutis, decretis, ordinationibus, & aliis literis Apostolicis Monachorum, Fratrum Mendicantium, & aliis Ordinibus supradictis, eorumque Monasteriis, domibus, sive locis per Sedem prædictam, vel Legatos eius, aut alios quoscumque in genere, seu in specie concessis, quorumcumque tenorem existant, statutis quoque, & consuetudinibus eorundem, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis specialis, & expressa mentio habenda foret, quoad hoc, illis alias in suo robore permanentibus derogamus expresse, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter vel divisim a dicta Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca, ac iudicium evocari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Exemplis eredi iubet.

§. 5. Verum quia difficile foret, præsentis literas ad singula mundi loca originaliter posse transferri, volumus, quod earum transcriptis authenticis, manu publica duorum notariorum subscriptis, & sigillo alicujus Prælati, vel Collegii roboratis, plena fides, in iudicio, & extra ubicumque exhibita fuerint adhibeatur, ac si literæ ipsæ originales forent exhibitæ, vel ostentæ.

Nulli ergo, &c.
Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, Pridie Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno III.

Dat. P. A. 2. die 1. Octobr.

Præbiteros Græcos inter Missarum solemniam Romæ Pontificis nomen elata voce canere, integrumque Credo juxta Romanæ Ecclesiæ Ritum dicere obligatos fore decernit.

CALLISTUS EPISCOPUS

Ex Regest. in Archiv. Vat.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Redituri de commissio nostra sollicitudini grege fidelium illi, qui nobis licet immeritis eundem sua bonitate commisit, in extremo iudicio rationem, summis, ut tenemur, studiis illos, quos plerumque a fidei Catholice saluberrimis institutis tortuosus coluber humani generis æmulus venenosus suggestionibus divertere, & deviare molitur, Salvatori nostro, qui non mortem, sed conversionem, & vitam desiderat peccatoris, restituere, & ad viam veritatis, quæ Christus est, reducere procuramus, atque toto nisu exquirimus, id pro eorum salute, & reductione efficere, per quod animarum suarum profectibus consulatur, nosque in ratione reddenda divinæ iustitiæ possimus evadere ultionem.

Exordium.

§. 1. Sane licet nostris temporibus, dum minori fungeremur officio Orientalis Græcorum Ecclesia in Concilio generali per Latinos, & Græcos Florentiæ celebrato Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ conjuncta fuerit, & unita, quia tamen inter cetera ex his, quæ in ipso Concilio sancita, & salubriter decreta fuerunt, aliqua per ipsos Græcos, quemadmodum fieri missarum solemniam nomen Romani Pontificis in loco deputato alta, & intelligibili voce exprimere, ac pro ipsius, & S. R. E. incolumitate, statumque pacifico orare teneantur, & debeant juxta doctrinam Salvatoris nostri, qui in Petri, & Apostolorum personis figurate nos instruit, dicens: qui vos recipit, me recipit, & qui recipit me, recipit Patrem meum, ex quo recte elicitur, Petrum, & Successores suos recipientes Beatitudinem adepturos; de Petro enim super alios dixit, quia post Apostolos Cephas, & Caput in Ecclesia universali mansurus erat, cuius oppositum ipsa veritas in eodem loco disseruit, cum ait, qui non recipit vos, non recipit me, & qui non recipit me, non recipit Patrem meum, ex quo pariformiter inferitur, tales incurrere damnationem æternam, de quo iterum Salva-

Græci multa, quæ in Concilio Florentino non receperunt, non observare ait.

Præcipit, pro ut in rubrica.

Qui Romano Pontifici non obtemperat, extra Ecclesiam est.

Salvator pulchre in Evangelio clarius exprimit, dicens: oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & ex cognosco me, & ego do eis vitam æternam; vox enim Christi a fidelibus auditur, cum in ore Sacerdotum, nomen Vicarii Jesu Christi, qui ipsius vices gerit in terris, & cui pascendarum ovium cura commissa est, publice nunciatur, omnes namque per obedientiam Pastorem agnoscunt, Pastor vero Summus Pontifex, claviger, & ostiarius Regni Cœlestis, & ostium Paradisi aperit, & ad perpetua Beatitudinis pascua fideles per mandatorum semitas incedentes salubriter introducit, divino namque iure sancitum est, ac omnium Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ Doctorum sententia comprobatum, ut singula membra capituli, idest Romano Pontifici Apostolico se debeant per omnia reconformare, a quo nostrum est querere quid credere, quid tenere debeamus, quoniam ipse solus est statuere, disponere, solvere, & ligare, qui vice Christi fungitur, & ab eo vobis in Pastorem dedicatus existit, cui omnes Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, ceterique Christicolæ tanquam indubitato Vicario Jesu Christi obtemperant.

Altera Pars Constitutionis circa Processione Spiritus Sancti.

§. 2. Demum ut illa vetustissima, periculosaque, & damnanda opinio in eodem, & aliis conciliis continuo reprobatâ, qua nonnulli minus veraciter affirmare præsumebant, Spiritum Sanctum a Patre solo procedere, penitus eradicari valeat, & quod Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ profiteatur, tenet pariter, & affirmat, eundem videlicet Spiritum Sanctum ab eodem Patre, & filio equaliter procedere, sicuti Beatus Athanasius lumine ejusdem Spiritus illustratus edocuit, dicens, eundem Spiritum Sanctum non factum, non creatum, non genitum, sed ex Patre, & filio æternaliter procedere, pectoribus singulorum fidelium pro eorum salute, & directione inseratur, similiter statuimus, ac etiam ordinamus, quod iidem Præbiteri, & Sacerdotes, dum infra earumdem Sacra Missarum solemniam symbolum ex ordinatione Ecclesiæ canunt, aut dicunt, illud integre secundum ritum ejusdem Romanæ Ecclesiæ intelligibiliter dicere teneantur, & debeant, videlicet: qui ex Patre, filioque procedit; alioquin omnes, & singulos, qui huic articulo orthodoxæ fidei ad nostram profecto salutem necessario, & in tot sanctorum Patrum Conciliis iteratis vicibus approbato contradicere, aut ejusdem Catholicæ Ecclesiæ institutiones observare recusaverint, vel malitiose neglexerint, sententias, censuras, & penas in eisdem, & præcipue Florentino Conciliis antedictis in tales generaliter latas, inflictas, & promulgatas, & anathema trecentorum, decem, & octo Patrum, nisi a præmissis erroribus respiciere, & unitati ejusdem Ecclesiæ se per omnia illico conformare studuerint, incurrere volumus ipsos factos.

Verba hæc qui a Patre filioque procedit Symbolo præcipit inhienda.

§. 3. Quapropter ne per tacurnitatem posterioris temporis mentes fidelium ab istius credulitate articuli fiant damnabili-

Tom. III. Par. III.

ter longiores, districte præcipimus, & mandamus, quatenus processio Spiritus Sancti a Sacerdotibus Græcis explicite, & manifeste ponatur in simbolo, ut fides ad justitiam teneatur in corde, & ad salutem omnium ejus fiat oris confessio, se tanquam filii obedientiæ semper Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ matris suæ per omnia conformantes, ut fiat unum ovile, & unus Pastor juxta ipsius sententiam Salvatoris.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, Ordinationis, voluntatis, & præcepti, & mandati infringere, &c.

Clausula.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, tertio nonas Sept. Pontif. nostri Anno III.

Dat. die 7. Septem. 1457. An. III.

PIUS SECUNDUS

PAPAXII.

ANNO DOMINI MCCCCLVIII.



Pius Silvius Piccolomineus Senensis S. R. E. Tituli Sanctæ Sabinae Præbyter Cardinalis, & Senensis Episcopus electus est in Summum Pontificem die 19. Augusti 1458. Sedit in Pontificatu Friderico III. Imperatore Annos V., Menses XI., dies XXV., & tribus Promotionibus XIII. creavit Cardinales. Obiit Anconæ die 14. Augusti 1464., & corpus ejus Romam delatum in Basilica Vaticana tumulatum est. Vacavit Sedes dies XVI.

M 2

Gene.

I.

Generales Ordinum Mendicantium, omnimodam habeant jurisdictionem, in omnes Studiorum Scholares, & Officiales, suorum Ordinum professores, quibuscumque Studiorum privilegiis non obstantibus.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis, Prædicatorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, atque Minorum, & aliorum Ordinum Mendicantium Generalibus, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Religiosorum excessus, quos antiquus hostis eo sollicitus suscitavit, quo eorum vitæ meritoria ardentius amulatur, tanto amplius detestantes, quanto ex illis majora scandala in mentibus fidelium oriuntur: ad illos reprimendum, & castigatione debita coercendum, congruum nos decet remedium adhibere.

Nonnulli Regulares prætexta Studii exemptos se a jurisdictione suorum Ordinis, Superioris esse prætendebant.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus, dilecti filii Provinciales vestrorum Ordinum laudabilem consuetudinem diutius observatam imitantes, nonnullos ex Fratribus Ordinum prædictorum ad hoc idoneos, ad literarum studia, in locis ubi illa vigere noscuntur, causa adipiscendi scientiæ margaritam, destinare consueverint; quorum nonnulli, juvenili, & humana fragilitate causantibus, interdum a semita rationis deviantes, discolori, & vagabundi effici solent, & propriæ salutis immemores, quo fit ut suave jugum Domini contemnent, Prælati suis obtemperare, eorumque salutares correptiones, & disciplinam effugere, quinimmo despiciere, & multimode eludere contendant, & ut id impune efficiant, Rectorum, Gubernatorum, & Conservatorum Studiorum, sive privilegiorum eorumdem præsidia, & patrocinia, quibus se protegi, & tueri valeant, fatagunt, exquisitis modis implorant, se ab ipsorum Ordinum superiorum jurisdictione, potestate, & correctione, exemptos esse prætendentes, Et similiter Baccalarii, Lectores, Bibliistæ, sive alii officiales pro tempore in domibus, & Conventibus civitatum, & locorum, in quibus studia hujusmodi vigere noscuntur deputati, cum excessus aliquos commiserint, sive aliter deliquerint, vel eorum insectia aut imperitia exigente, ab hujusmodi eorum officiis depositi fuerint, id ipsum præsumere moliantur, in grave Ordinum prædictorum præjudicium, animarum suarum periculum, regularis disciplinæ vilipendium, & contemptum, ac scandalum plurimorum.

Hic ideo Pontifex prædictos omnes jurisdictioni Generalium Ordinum a totaliter supponit.

§. 2. Nos itaque attendentes, quod si ad reprimendos excessus hujusmodi, & tallium præsumptiones temerarias cohibendum, nervus publicæ disciplinæ lentescat, eorum voluntas sit proclivior ad peccandum, & impunitatis exemplum periculosus in alios derivatur, ac volentes super his de opportuno remedio providere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes, & singulos vestrorum Ordinum professores, qui spiritu rebellionis assumpto, talia perpetrare præsumperint, cujuscumque gradus, vel conditionis existant, nisi canonica monitione præmissa, a captis respuerint, & debitam a vobis pro commissis penitentiam humiliter susceperint, ac mandatis vestris efficaciter obtemperare studuerint cum effectu, tandem excommunicatos, ac omnibus Magisterii, Baccalariatus, Lectoriæ, Bibliistatus officiis, aliisque dignitatibus, & honoribus dictorum Ordinum exutos, privatosque auctoritate Apostolica nunciatis; & ab aliis, ubi, quando, & quoties expedierit nunciari, & si eorum contumacia, protervitas, vel rebellio id exegerit, carceribus ad penitentiam peragendam detrudi, & mancipari faciatis, donec spiritu consilii sanioris resumpto, vestris monitionibus, & mandatis studuerint cum emendatione prioris vitæ humiliter obedire, & ab hujusmodi excommunicationis sententia meruerint a Sede Apostolica, vel a nobis absolutionis beneficium obtinere.

§. 3. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, & gratiis studiis generalibus quorumcumque civitatum, & locorum Apostolica vel alia quavis auctoritate concessis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus in presentibus de verbo ad verbum habenda esset mentio specialis, ejusque specialiter aut alias sub forma certa, vel specifica derogandum: quæ eisdem fratribus, & professoribus, quoad hoc, nolumus in aliquo suffragari, etiam si hoc in eisdem caveretur expresse, ceterisque contrariis quibuscumque aut si professoribus Ordinum prædictorum, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo XV. Kalendas Octobris Pontificatus nostri Anno I.

D. P. A. 1. die 17. Sept.

II.

Expositio Bullæ Callisti III. de Canonizatione S. Vincentii Valentini, professoris Ordinis Fratrum Prædicatorum S. Dominici, ejusque adscriptio Catholico SS. Confessorum, & institutio festivitatis pro die 6. mensis Aprilis.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit, & convenit honestati, ut ea quæ Romani Pontificis deliberatione provida ac Venerabilibus fratrum

Exordium.

Exordium.

Deus multoties suscitavit viros sanctos pro hominum salute.

trum nostrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Prælatorum tunc in Romana Curia residentium consilio, & assensu unanimi decreta, statuta, & ordinata fuerunt, licet ipsius prædecessoris superveniente obitu literæ Apostolicæ confectæ non fuerint super illis, suum plenarium fortiantur effectum.

§. 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Callistus Papa III. Prædecessor noster, Jesu Christi in terris, superna dispositione Vicarius, & B. Petri Cælestis Regni clavigeri successor, cum militantis Ecclesiæ gubernacula superna regeret voluntate, & immensam Dei nostri clementiam in eo maxime interna meditatione cognosceret, quod hominem quem ad suam imaginem similitudinemque formaverat, a se ipso incommutabili bono, dolo serpentis aversum, ad se brachio suæ virtutis reducere, & culpe ipsius lapsum volens in persona propria reparare, humanæ naturæ ministerio usus est, ut sua mirabili potentia, inde medelam ferret hominibus, unde vulnus cernebatur illatum, ac pro sua bonitate debitori ipse homo, & obnoxius remaneret. Nam licet omnipotens sermo dilapsus foret antea in Prophetas, ut divini secretum consilii cognoscentes, ac spem humanæ reparationis habentes solum Creatori suo servirent, ipsum Dominum adorarent, ac posteros venerari, & adorare docerent, in fine tamen sæculorum cum venit temporis plenitudo, misericordiarum pater ingenitus, Verbum suum per quod fecit, & sæcula de cælis misit in orbem, ut humanam carnem assumens, æternæ vitæ viam lapsis perditisque ostenderet, culpam protoplasti in ara crucis, pro pio cruore dilueret, nobisque cæli januam aperiret. Utque tanti mysterii incarnationis videlicet, & redemptionis hujusmodi veritas cunctis mortalibus innotesceret, Apostolos suos, quos in vitæ doctrinæ, & operum suorum testimonium elegerat, aliosque discipulos in universum mundum ad prædicandum Evangelium destinavit, qui suis eloquiis, signis, & virtutibus veluti solis radiis orbem terrarum illuminarent. Sed cum successu temporis callidi hostis iniquitas, antiquæ, & usitate fraudis commentis, humanum genus tam grandis, & sacratissima redemptionis fructu privare, & in æternam prædam adducere moliretur, divina clementia semper generi miserata humano suæ Ecclesiæ orthodoxæ opportune subveniens, viros misit plurimos, sanctitate, & scientia præditos, virtutibus redimitos, temporis convenientes, qui velut divini gregis arietes, rectum iter gregi suo ducatumque præberent, & bonis adhortantibus operibus, & exemplis hominum titubantes animos roborarent, aut martyrii gloria aut vitæ integritate, seu errorum gentilium, & hæreticorum confutatione, vel divinx virtutis, & promissæ felicitatis æternæ prædicatione, eidem Sacrosanctæ Ecclesiæ præsidia maxima, & adjumenta tribuerent.

§. 2. Atqui ejusdem prædecessoris temporibus, cum in occiduis partibus, Judæorum maxime, & infidelium multitudo crevisset, ac literis, & divitiis afflueret propemodum, tremenda quoque dies illa novissima oblivioni pene tradita esset, divina providentiæ altitudo suæ præclaris viris eandem Ecclesiam instaurare, & decorare disposuerat pro ipsorum salute fidelium Vincentium Valentianum Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Sacræ Theologiæ eximium professorem, æterni Evangelii in se documenta habentem, veluti athletam strenuum, ad Judæorum eorundem, Saracenorumque, & aliorum infidelium confutandos errores, & extremi, tremendique judicii diem quasi alterum Angelum volantem per cæli medium pronunciandum, evangelizandumque sedentibus super terram tempore opportuno transmisit, ut in omnes gentes, tribus, & linguas, populos, & nationes, verba salutis diffunderet, Regnum Dei, diemque judicii appropinquare ostenderet, & æternæ vitæ semitam demonstraret. Cum vero tunc tanti viri excellentiam, qui id gratia consecutus est, quod Angeli naturaliter fortiuntur, ipsius quoque vitæ, & conversationis actus, idem Callistus prædecessor, ad ædificationem fidelium, & posterorum memoriam, ex parte aliqua recensere decrevisset, proat compertum, & notissimum habuit, eundem præclarum virum Vincentium in amplissima Hispaniarum Urbium, Valentia scilicet civitate ex Christianis, & honestis parentibus ortum altumque fuisse, & ab ineunte ætate cor senile gessisse testatur.

Qui ætatis An. 18. habitum Fratrum Prædicatorum suscepit, & deinde Magisterium Theologicæ consecutus fuit.

§. 3. Qui dum caliginosi hujus sæculi labilem cursum, pro ingenii sui modulo consideraret, & jam suæ ætatis annum decimum octavam attingeret, religionis habitum Ordinis memorati, summa cum devotione recepit, ac demum regulari professione solito more emissâ, sacris literis tam efficacem operam dedit, ut magisterio in eadem Theologica facultate dignus ab omnibus censeretur, & ob hoc ipsius magisterii insignia consecutus est.

Verbum Dei postea prædicavit, infidelium errores confutavit, quo usque annum transcendens 70. in Domino obdormivit.

§. 4. Ac deinde solita in talibus obtenta licentia verbum Dei prædicare, & æternæ beatitudinis semina cordibus fidelium infundere, errores denique, & perfidiam Judæorum, & Infidelium eorundem confutare cœpit mirum in modum, ratione ostendens, quam terribilis iudex in ipso extremo judicio reprobis, & iniquis redemptor ipse futurus sit. In quibus quidem salutiferis prædicationibus, & laudabilibus actibus, usque adeo perseverans, ac multas Hispaniarum, Galliarumque ac Italiæ provincias, quasi novum sydus peragrans illustrans, tandem in Britannia civitate, Venetensis septuagesimum ejusdem ætatis annum transcendens, prædicationis, & vitæ cursum, devotissime consummavit.

§. 5. Ac postquam Deus qui non permittit, quæ Ecclesiæ suæ sanctæ profutura conspiciunt, conculcari, aut abscondita latere sub modio, eos, qui prædicatione ipsius divini viri, spiritualium, & corporum

Nonnulli dicitur Viri signa Sede Apostolica nunciaverunt.

Et apud Martin. V., Eug. IV., & Nicolaum V. hoc idem Ducem, & Praelati Britanniae egerunt.

Reges quoque & Generales Ordinis alique testificati cum praecleara merita, & miracula S. Vincentii, &c.

ralium sanitarum beneficia receperant inspiravit, quod sanctitatis insignia, quae in ipso divino viro cognoverant Sedi Apostolicae nunciarent, ipsamque de ejusdem sancti viri operibus informarent.

§. 6. Itaque colenda mem: Joannes, & Petrus quondam Britanniae Duces, ac Praelati, & alii ipsius ducatus devota, personae, multique aliarum provinciarum devoti viri, apud quos vivens praefatus Vincentius Dei verbum seminaverat, Fratres quoque Ordinis memorati Sedem praedictam iteratis vicibus, interpolatisque temporibus adire, tenente locum ejusdem clavigeri felicitis recordationis Martino V. ac postmodum Eugenio IV. & deinde Nicolao V. Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris.

§. 7. Sed clare mem. Joannes Castella, & Legionis, ac Alphonsus Aragonum Reges illustres, multique alii Ecclesiarum Praelati, ac viri nobiles saeculares, Universitates quoque Studiorum, ac Civitatum, necnon dilectus filius Martialis Auribelli, dicti Ordinis generalis Magister, nomine ipsius Ordinis, eandem Sedem cum instantia pulsaverunt, affirmantes, quod insignis vir ipse, dum in humanis egit, vocibus prophetarum verbiisque euangelicis ita inhaesit, ut praeccepta firmiter servaret divina, & consilia minime praeteriret. Divinae quoque laudis praeco maximus, ac iniquitatis humanae reprehensor fuit. Delegatoque sibi praedicationis officio, ita functus est, ut necessariis ad vitae tutelam contemptis, nedum in futurum, sed nec in diem laboravit, illa veste, illo habitaculo, illo cibo contentus, quae Deus sibi in tempore praeparabat, nullum munus, etiam oblatum recipiebat, sed apud offerentes dimittebat, aut pauperibus erogari consuebat. Tantis in eo gratiae fulgor apparuit, tanta Spiritus Sancti abundantia in eo fuit, tot de ore praedicantis, speciosissimae veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis Judaeos, in lege etiam peritissimos, qui Christum pertinaciter venisse negabant, ad fidem Catholicam converteret, & efficacissimos multos ex eis praedicatorum Adventus Christi, Passionis, ac Resurrectionis, & pro Christi nomine mori paratos fecit. Tanta in ipso viro divino fuit auctoritas dicendi, tantaque gravitas, ut terrenis rebus, luxuriae deditos homines, adeo iudicii futuri timore concuteret, ut terrena despicerent, & amarent caelestia, ac levitates, & luxus omnium, in Dei provocaret affectum. Omni die Missam cantavit, omni die praedicavit, omni die, (nisi urgens adesset necessitas) jejunavit consilia sancta, & recta nulli denegavit, immo ultro obtulit, carnes non comedit, vestem lineam non induit, manus super aegros frequentissime miraculose sanitate secuta imposuit, mores castissimos servavit, multosque strenuos actus fecit, ubi maxime super magnis rebus populos contentendentes, & Regna, pace composuit, & ubi vestis incommodis Ecclesiae Dei scissa

conspiciebatur, ut uniretur, & unita servaretur non frustra plurimum laboravit, ac in simplicitate, & humilitate ambulans detractores, persecutoresque suos cum mansuetudine recipiebat, & informabat. Per ipsum quoque divina virtus ad confirmationem suae praedicationis, & vitae, tam per manus ipsius impositionem, quam reliquiarum suarum, vestiumque tactum, ac votorum emissionem, multa miracula ostendit. Spiritus namque immundos eiecit, surdis auditum, mutis loquelam restituit, caecos illuminavit, leprosos mundavit, mortuos suscitavit, aliosque variis detentis languoribus miraculosissime liberavit.

§. 8. Quorum omnium efficax assertio fuit, quod idem Nicolaus praedecessor, plene de fama fidei, & excellentia vitae, atque miraculorum ipsius informatus, volens ad ulteriora procedere, juxta S. R. E. morem, Venerabilibus Fratribus nostris, tunc suis Gregorio Episcopo Hostiensis, & eidem Callisto praedecessori tunc in minoribus constituto, ac Joanni S. Angeli Diacono Cardinali commisit, quod de veritate fidei, & excellentia vitae, ac miraculorum gratia, se aut eorum aliquem in Curia, extra vero per iudices ab eis deputandos diligenter informarent.

§. 9. Qui mandatis praefati Nicolai praedecessoris obtemperantes, & in Curia nonnullis testibus examinatis, extra vero Romanam Curiam juxta potestatem eis datam in Civitate Neapolitana Venerabiles Fratres nostros Patriarcham Alexandrinum, Archiepiscopum Neapolitanum, & Episcopum Majoricensem ibidem commemorantes, in partibus Delphinatus Vasconensem, & Uricensem Episcopos, ac dilectos filios Officialem Avinionensem, & Decanum Ecclesiae S. Petri Avinionensis in Regno Franciae, Archiepiscopum Tolosanum, Episcopum Mirapicensem ac eorum officiales. In Britannia vero, Dolensem, & Macloviensem Episcopos, necnon S. Jacuti, & Debusani, Dolenfis, & Nanetensis Diocesis Abbates, ac Nanetenses, & Venetenses Officiales subdelegarunt. Qui juxta tenorem potestatis eis per commissarios tradite, testes examinarunt, & dicta ipsorum in scriptis redacta, clausa cum subscriptione notariorum, & sigillis eorum, ad Curiam transferunt. Et tandem per eosdem Cardinales commissarios, inspectis, recognitis, ac visis diligenter processibus, inventum est quod in Civitate Neapoli viginti octo, in Avinionensi, & circumvicinis partibus decem, & octo; in Regno Franciae videlicet Tolosanenses quadraginta octo; in Britannia vero trecenti, & decem testes examinati, inter quos nonnulli S. R. E. Cardinales, multi Episcopi, & Ecclesiarum Praelati, Rex Aragonum praefatos, plurimique alii ex statu saeculari viri nobiles, pluresque alii Legum, Artium, ac Sacrae Theologiae, Baccalarum, Licentiarum, Doctores, ac Magistri extiterunt.

§. 10. Ac postquam dictus Nicolaus praede-

Hic promove Nicol. V. informationem, praedictorum, tribus Card. commisit.

Qui processum formant, & multa miracula verificata fuerunt.

Nicolaus de-functio, Callisto, creatus est Pont. qui ea esset unus de tribus Card. deputatis alio in Card. loco sui sufficere.

Habuitque in Confessoris fecerit relationem, verificationem, virtutum, & miraculorum, idem que ad altera priora processu justit.

Et tandem ad Canonizationem devenimus dum esse pronunciavit.

Ipsumque canonizavit, & SS. Confessorum numero adscripsit.

Ejus Festum die 6. Aprilis celebrari jussit.

praedecessor, rebus fuerat humanis exemptus, pia mem. Callistus Papa III. praedecessor noster, dudum ante in minoribus constitutus, & unus ex commissariis antedictis, ad apicem summi Apostolatus assumptus, dilectum filium nostrum Alanum tit. S. Praxedis, S. R. E. Presbyterum Cardinalem loco sui, in hujusmodi negotio deputavit delegatum.

§. 11. Et facta eidem Callisto praedecessori per praefatos commissarios relatione fidei in duobus secretis Confessoris de dictis testium examinatorum, reperit omnia, quae de fide, de excellentia vitae, de laboribus, moribus castis, de actibus strenuis, de humilitate, & simplicitate, ac miraculis ipsius Vincentii dicta fuere, legitime probata. Ideoque de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum tunc ejusdem S. R. E. Cardinalium, ad ulteriora in canonizationem ejusdem Vincentii procedendum esse decrevit, & deinde ex more, dicta ipsorum testium fecit in duobus Confessoris generalibus publice recitari, ac postea vocatis eidem Cardinalibus, & Praelatis, qui in Curia aderant omnes nemine discrepante consuluerunt, ad canonizationem dicti Vincentii esse merito procedendum.

§. 12. Idem quoque Callistus praedecessor, dicta die, videlicet tertia junii, Pontificatus sui anno primo in ipsum Cardinalium, & Praelatorum praesentia, de ipsorum omnium consensu unanimi pronuntiavit atque decrevit, Vincentium praefatum esse canonizandum, quod publice & solemniter faciendum, in Festo Apostolorum Petri, & Pauli proxime sequenti, videlicet tertio Kalendas Julii, Pontificatus ejusdem anno praedicto, statuit, & etiam ordinavit.

§. 13. Postmodum vero dictus Callistus praedecessor, die solemnitate Apostolorum hujusmodi, ut praefertur, adveniente, tam ex vitae excellentia, quam miraculorum confectione, necnon vera notitia, quam de ipso Vincentio tunc vivente habuerat, eum virum competere assecutum fuisse gratiam, quam Deus omnipotens sanctis, & electis suis concessit, & confirmata signa ex eo consecuta fuisse, quae ad cognoscendum fideles, ac Dei ministros, veritas in suo Evangelio demonstravit, pro sua informatione Ecclesiae, ne posset errare, sic inquit. Signa autem eos, qui crederentur haec sequentur. In nomine meo demonia eicient, linguis loquentur novis, super aegros manus imponeant, & bene habebunt. Ea propter eum auctoritate Apostolica canonizavit, & literarum suarum (si desuper consecuta fuissent) tenore, in Sanctorum Cathologo adscribendum esse decrevit.

§. 14. Universos, & singulos, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ecclesiarum Praelatos monuit, & attente hortatus est, eis nihilominus injungendo, quod octavo Idus Aprilis Festum ejusdem S. Vincentii, sicuti de uno Confessore non Pontifice annis singulis,

devote, & solemniter celebrarent, ac facerent a suis subditis, devotione congrua celebrari, & etiam venerari, ut pia ejus intercessione a noxiis protegi, & sempiterna gaudia valeret adipisci.

§. 15. Miracula vero quae Deus per eundem Sanctum fecerat, propter eorum multitudinem, ne modum literarum, si, ut praefertur, confecta fuissent, egredere- rentur, duxit silentio praeterenda. Mandans processum omnes super illis habitos, in Ecclesia domus S. Mariae super Mineruam de Urbe dicti Ordinis ad perpetuam rei memoriam custodiri, & illorum copiam volentibus exhiberi, ac etiam in officio ipsius Sancti Viri, quoad fieri posset, latius declarari.

§. 16. Ceterum Callistus praedecessor praefatus, ut ad tanti Confessoris venerabile sepulchrum, & Ecclesias in quibus de eo festivitas celebraretur, eo devotius, & affluentius, fidelium conflueret multitudo, omnibus vere poenitentibus, & confessis, qui reverenter ac devote ad praedictum sepulchrum, & Ecclesias in eodem Festo anouatim accederent, ipsius suffragia petitari, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confusus, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis poenitentibus, misericorditer relaxavit.

§. 17. Ne autem pro eo, quod super canonizatione, & aliis praemissis ejusdem Praedecessoris litera, ejus superveniente obitu minime consecuta fuerunt, in posterum valeat de hujusmodi canonizatione, & aliis praemissis quomodolibet haesitari, licet ea in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, eidem Cardinalibus. Praelatis, & multitudine populi circumstantibus, fuerit publicata; Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod canonizatione, & alia praemissa, dicta die videlicet tertio Kalendas Julii plenarium fortiantur effectum, ac si sub ipsius diei data ejusdem praedecessoris litera consecuta fuissent, pro ut superius enarratur, quodque praesentes literae, ad probandum plene canonizationem ipsam, & omnia alia praedicta ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

§. 18. Nulli ergo &c. Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1458. Kalendis Octobris Pontificatus Nostri Anno I.

III. Erectio Ecclesiae Episcopalis Civitatis Senarum in provincia Hetruriae, in Ecclesiam Archiepiscopalem.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam. Triumphans Pastor aeternus, gloriosus sanctorum traditione patrum, ut suum salvaret populum, directis in monte colloquiis, eruditionis sacratissimae praemissit mysteria, quod ignis in altari Sacerdotis confoveatur officio, & ut sine intermissione comburat, ligna ei subicere, illius

Miraculorum processum in Monasterio S. Mariae super Mineruam de Urbe alterari praecipit.

Ecclesias ejus visitantibus indulgentias concessit.

Callisto autem obiit, & Bulla desuper non fuit expressa, ideo hic Pont. eam edidit.

Sanctio personalis. Dat. P. A. I. 1. Octobris.

Praemium.

illius, non cesset ministerium studiosum. Altare quippe Dei, cor fidelis habetur cujuslibet. in quo ipsius ardor ignis inde-

Causa istius erectionis.

§. 1. Nos itaque illius summi directione Pastoris (qui Ecclesie ac fidelium eorumdem, nostre commisit insufficiente curam, nosque licet immerito in ipsius montis verticem ad summisacerdotis Pontificium conscendere voluit) hujusmodi instructi documentis, adolescentulas ipsas eorumque pastores, in partem sollicitudinis, consilii celestis dispositione vocatos, in caritatis visceribus ardentius complectentes, ut ea summiopere nostri ministerii dona congeramus, nostros continue diffundimus cogitatus, per que ad exaltationem, & incrementum intendenda status Ecclesiarum quoque compunctionis antidotis, & amore fulcienda divino corda fidelium eorumdem, ignis hujusmodi colens, & emundans quidquid humane fragilitatis suavi offensionis, aut contagionis irreperit, validiores evitare possit afflatus, & pro decoris adolescentulis eisdem (que Regis habitatio sunt aeterni) speciosiora elargita insignia, gratioribus ipsa mater Ecclesia munita propugnaculis, pulchra veluti, & decora Hierusalem filia, gregem depascat nitidum, caritatis, & virtutum radiis fecundius illustratum.

Segregatio Ecclesie Senensis a Provincia Romana, & erectio in Archiepiscopatum.

§. 2. Ad venerabilem igitur Ecclesiam Senensem agro irriguo (celebris videlicet, & insignis congregationis, populique venustate) circumdatam, singulareque hujusmodi congregationis palmite, quos (eis de cali rore, & terre pinguedine benedicens, qui nunc candidior inter lilia pascitur) munere, & meritis ampliavit, eorumque loca extendit Altissimus, paternæ non immerito dirigentes considerationis intuitum; sperantesque quod (eo, qui charismatum largitor est omnium, dirigente Domino, & Spiritus almifici, qui, prout vult, sua dispensat dona, gratiarum imbre resecit, de virtute in virtutem, palmitibus ipsis, ad illorum edificationem, tranquillum quoque, & prosperum, sub timore divino, conservandum statum, mutæ caritatis vicissitudine) fructus diem affluant ampliores, tantoque Apostolicam (in qua celestis clavigeri Apostolorum Principis successores existimus) sedem, puris jugiter corde, & animo venerari, illiusque votivum intendere, successe accuratioribus debeant studiis, quanto copiosiori ejus ubertate distenta

Apostolicorum elargitione munerum, acceptiora congratulentur impendia liberalius acceptasse. Præmissis, & nonnullis aliis rationabilibus, nostrum ad id animum inducentibus causis, matura super his cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus deliberatione præhabita, de illorum quoque consilio, & assensu, ac Apostolicæ plenitudine potestatis, ad omnipotentis Dei, totiusque Curie supercaelestis laudem, & gloriam, fidei propagationem, orthodoxæ Ecclesie universalis, divinique cultus, & omnium fidelium animarum salutis augmentum, Ecclesiam præfatam (quæ de Provincia Romana esse dignoscitur) a jure Metropolitanico, & Romana Provincia hujusmodi, omnino segregamus, & eximimus, necnon in Metropolim, & Sedem Episcopalem Senensem, in Archiepiscopalem, auctoritate Apostolica, erigimus, eandemque Senensem Ecclesiam, dignitatis Metropolitanicæ honore, decorisque titulis, ex specialis dono gratiæ decoramus, ac etiam insignimus. Necnon venerabili fratri nostro Antonio, Episcopo moderno, & successoribus suis, diocesis Ecclesie Senensis Præsulibus, qui erunt pro tempore, pallium, in signum plenitudinis videlicet Pontificalis officii, assignandum fore; Ecclesiamque Senensem Metropolitanam, & præfatos Præsules Archiepiscopos conferri, & perpetuis futuris temporibus nuncupari debere. Archiepiscopalia quoque, & Metropolitanica insignia gerere, jura, jurisdictiones, & cetera singula, prout Metropolitanis in eorum Civitatibus, Diocesis, & Provinciis, a jure indultum exiit, facere, exercere, administrare, & exequi posse, eadem auctoritate concedimus. Necnon Filias nostras prædictas Suanensem, Clusinensem, & Grossetanensem, & Massanensem Ecclesias, cum suis Civitatibus, & Diocesis, juribus, & pertinentiis universis, Ecclesie Senensi, & Archiepiscopis præfatis, tanquam illorum Metropolitanis, & de eorum Provincia, ac modernis, & pro tempore existentes Suanensis, Clusinensis, Grossetanensis, & Massanensis Ecclesiarum præfatarum Episcopos, necnon Ecclesias ipsas, quæ videlicet Suanensis, Clusinensis, & Grossetanensis Romanæ, necnon videlicet Massanensis Ecclesia, hujusmodi Pisanensi Ecclesie subiectæ existunt, ab eisdem Romanæ, & Pisanæ Ecclesie, & eorum Provinciis, omnino segregamus, illasque Suanensem, Clusinensem, Grossetanensem, & Massanensem præfatis Archiepiscopis, pro eorum suffraganeis, perpetuo subicimus, & subiectas esse volumus per presentes. Ita quod Archiepiscopi Senenses in eisdem Suanense, Clusinense, Grossetanense, & Massanense Civitatibus, & Diocesis, jus Metropolitanicum sibi vendicent, necnon Suanensis, Clusinensis, Grossetanensis, & Massanensis Episcopi præfati, eisdem Metropoli, & Archiepiscopis, ad omnia, & singula habeantur, & sint adstricti, ad que

Gratiarum concessio diocesis Ecclesie, & ejus Archiepiscopo.

quæ suffraganei, suis Metropolitanici Ecclesie, ac Metropolitanis, tenentur, & obligati judicantur secundum canonicas sanctiones.

§. 3. Volentes præterea, & etiam statuentes, quod Archiepiscopi, & Senensis Ecclesia præfati, omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, gratiis, & indultis Apostolicis, ac aliis quibuscumque potiantur, & gaudeant, quibus de jure Archiepiscopi, Ecclesieque Metropolitanæ, & earum Capitula, utuntur, potiuntur, & gaudent, necnon Ecclesia Senensi præfata, & illi qui ei hactenus præfuerunt ante erectionem hujusmodi, etiam de consuetudine, quæ modolibet uti poterant, potiri, & gaudere. Quodque suffraganei præfati, ac eorumdem Suanen. Clusinen. Grossetanen. & Massan. Civitatum, Diocesisque Clerici, & Laici, præfatis Archiepiscopis, veluti ipsorum Metropolitanis, debitas exhibeant obedientiam, reverentiam, pariter, & honorem. Et insuper irritum ex nunc decernimus, & inane, si secus super his, a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clavula derogatoria.

§. 4. Non obstantibus quod Ecclesie ipsæ, ut præfertur, subiectæ fuerint, ac constitutionibus Apostolicis, statutis quoque, & consuetudinibus Ecclesiarum præfatarum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque.

D. P. An. 12. April.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Senis Anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, decimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

IV. Præcedentia Episcoporum, aliorumque ad Cathedralis Ecclesias Electorum, ac Protonotariorum Apostolicorum.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Ad perpetuam rei memoriam.

Præcedentia Episcoporum.

CUM servare in rebus ordinem atque modum, ad Romanum Pontificem maxime pertineat, ordo vero, in eo potissimum consideretur, ut secundum suam quique dignitatem, aut præcedant, aut sequantur, habita cum venerabilibus Fratribus nostris Sacrosanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus, exacta, & diligenti deliberatione, auctoritate Apostolica, tenere præsentium, de eorumdem Fratrum nostrorum consilio pariter, & assensu statuiamus, decernimus, ordinamus, atque mandamus, ut Notariorum nostrorum (quos vulgo Protonotarios, quasi per excellentiam quamdam, non ab re, consuetudo vocitat) nullus deinceps Episcoporum venerando Sanctoque Ordini, tam

quam honorabiliorem sese audeat antepone-re.

§. 1. Sed in Capella quidem nostra, in banco seu scamno secundo, post Episcopos, seoriam sedeant, secundum ordinem institutionis eorum. In Consistoriis vero publicis, (ubi de rebus quæ gerunt, ut authentica conficiantur documenta, rogari consueverunt) quatuor ex eis, qui numerarii dicuntur, aut ipsis absentibus, totidem ex aliis, secundum institutionem eorum seniores, juxta gradum Apostolici solii, honorabiliorem teneant locum, Sedique nostræ proximiores assideant. In aliis autem locis, tam in Curia, quam extra, ubique gentium atque terrarum Archiepiscopos, & Episcopos omnes, Notarii nostri sequantur, eisque cedant, & quod in Episcopis sancimus, ad Ecclesiarum Cathedralium auctoritate Apostolica electos pariter, & confirmatos extendimus.

Limitatio.

Nulli ergo &c. Datum Mantuæ, Anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, pridie Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

D. P. An. 12. Junii.

V. Appellantes a Summo Romano Pontifice, ad futurum Concilium, eorumque Consiliarii, & fautores, poenis excommunicationis, criminisque lese Majestatis, divinæ, & humanæ subiciuntur.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Ad futuram rei memoriam.

EXCERABILIS, & pristinis temporibus inauditum tempestate nostra inolevit abusus, ut a Romano Pontifice, Jesu Christi Vicario (cui dictum est in persona Beati Petri) Pasce oves meas, & quodque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis; nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate judicii, sed commilli evasione peccati, ad futurum Concilium provocare præsumant, quod quantum sacris Canonibus adversetur, quantumque Reipublicæ Christianæ noxium sit, quisquis non ignarus jurium intelligere potest. Namque (ut alia prætereamus, quæ huic corruptelæ manifestissime refragantur) quis non illud ridiculum judicaverit, quod ad id appellatur quod nusquam est, neque scitur quando futurum sit? Pauperes a potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita scelera, nutritur adversus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis Ecclesiastica disciplina, & hierarchicus ordo confunditur.

Plurima oritur mala ab appellatione, interpolata a Rom. Pont. ad futurum Concilium.

§. 2. Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi Ecclesia procul pellere, & ovium nobis commissarum saluti consulere, omnemque materiam scandali, ab ovili nostri Salvatoris arcere, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium,

Hic Pont. eam damnat, & a mandatis Papæ provocari prohibet.

1459.

nalium, eunctorumque Prælatorum, ac divini, & humani juris Interpretum, curiam sequentium, consilio, & assensu, ac certa nostra scientia, huiusmodi provocaciones damnamus, & tamquam erroneas ac detestabiles reprobamus, cassantes, & penitus annullantes, si quæ hæcenus taliter interpositæ reperiantur, easque tamquam inanes, ac pestiferas, nullius momenti esse decernimus, & declaramus. Præcipientes deinceps, ut nemo audeat quovis quæsito colore, ab ordinationibus, sententiis, sive mandatis quibuscumque nostris, ac successorum nostrorum, talem appellationem interponere, aut interpositæ per alium adhaerere, seu eis quomodolibet uti.

Contra-ventibus-penas excommunicationis, & interdicti, & criminis læsæ majestatis, infligit.

§. 3. Si quis autem contrafecerit, a die publicationis præsentium, in Cancellaria Apostolica, post duos menses, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerit, etiam si Imperiali, Regali, vel Pontificali præfulgeat dignitate, ipso facto sententiam execrationis incurrat, a qua nisi per Romanum Pontificem, & in mortis articulo, absolvi non possit. Universitas vero sive Collegium, Ecclesiastico subiaceat interdicto, & nihilominus tam Collegia, & Universitates, quam prædictæ, & aliæ quæcumque personæ, eas pænas ac censuras incurrant, quas rei Majestatis, & hæreticæ pravitatis fautores, incurere dignoscuntur. Tabelliones insuper, ac testes, qui huiusmodi actibus interfuerint, & generaliter qui scienter consilium, auxilium dederint, vel favorem talibus appellantibus, pari poena plectantur.

Sanctio-Pœnalis.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis, damnationis, reprobationis, cassationis, annulationis, decreti, declarationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

D. P. An. II. 18. Januarii.

Datum Mant. Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono decimo quinto Kalendas Februarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

V I.

Ereçtio Universitatis Nannetensis.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex Histor. univers. Parisien. Bulas Tom. V. pag. 661.

Præfatio.

Inter felicitates quas mortalis homo in hac labili vita ex Dono Dei nancisci potest ea non in ultimis computari meretur, quod per assiduum studium adipisci valeat scientiæ Margaritam, quæ bene beateque vivendi viam præbet, & peritum ab imperio sua preciositate longe faciat excellere, & ad mundi arcana cognoscen-

da dilucide inducit, suffragatur indoctis, & in infimo loco natos inducit in sublime. Et propterea Sedes Apostolica rerum spiritalium, & etiam temporalium cuiusvis laudabilis exercitii perpetua, & constans, adiutrix, ut eo facilius homines ad tam excelsum humanæ conditionis fastigium acquirendum, & acquisitum in alios refundendum semper cum augmento quæsti facilius inducantur. Cum aliarum rerum distributio massam muniat; scientiæ vero communicatio quantum in plures diffunditur, tanto semper augeatur, & crescat, illos hortatur, eis loca preparat, & opportuna commoditatis auxilia impartitur, Catholicorum Principum votis favorabiliter annuendo.

1459.

Cathedralium numerus in Britannic Ducatu.

§. 1. Cum itaque sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Franciscus Britannum Dux Sui Ducatus Britannia, in quo novem Ecclesiæ Cathedralis, Civitates insignes, & totidem Dioceses ab invicem distinctæ notabilia Monasteria, & beneficia Ecclesiastica, secularia, & regularia, copiosissime tam Ecclesiasticorum, quam Secularium nobilium, & ignobilium populi numerus consistunt, ac ejusdem populi statum prosperari cupiens, ac cognoscens, quod si in aliqua Civitate earumdem studium vigeret Literarum Generale, quam plures ejusdem populi, quorum aliqui studiorum literarum per eos inceptorum desertores efficiuntur, alii vero qui ipsi studio operam dare cogitant, ab eo retrahuntur perfectam acquirere scientiæ Margaritam, non mediocriter ipsi statui profuturam. Cupit pro rei publicæ, ac Incolarum ejusdem Ducatus, aliorumque ad ipsam Margaritam anhelantium utilitatem, in una Civitate ipsi uberrima, videlicet Nannetensi, ad quam flumen Ligeris spatio ducentorum milliariorum, & ultra navigabilis a partibus Franciæ, & deinde ad portum maris ipsi Civitati Nannetensi multum accommodum tendit, & per quod omnia vitæ humanæ necessaria, & ad eandem Civitatem navali, & Carbarum usu vehi possunt, & in qua aeris temperies viget victualium ubertas, ceterarumque rerum ad usum vitæ humanæ huiusmodi pertinentium copia reperitur plurimum desiderat fieri, & ordinari per eandem Sedem studium generale in qualibet licita facultate.

§. 2. Nos igitur præmissa, & etiam eximiam ipsius Ducis, & Prædecessorum Britannicæ Principum Fidei devotionem, & sinceritatem, quam ad nos, & Romanam Ecclesiam, cui semper plenarie, ac constanter obedivisse sine varietate comprobantur attente considerantes, ferventi desiderio ducimur, quod Ducatus prædictus scientiarum ornetur muneribus, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, & diversarum facultatum dogmatibus conditos, sitque ibi fons irrigans, de cuius plenitudine hauriant universi Christianifideles, undique illic affluentes, & literarum documentis insistentes. Horum igitur consi-

In Civitate Nannet. Universitatem erigi mandat.

Episcopus Nannet. Universitatis Cancellarius deputatur.

Gradus, & insignia recipiendi facultas.

consideratione induci ad laudem Divini nominis, & orthodoxæ fidei propagationem, Republicæ, & partium earumdem commodum, atque profectum.

Auctoritate Apostolica concedimus, statuimus, & ordinamus, quod in dicta Civitate Nannetensi de cætero sit, & perpetuis futuris temporibus vigeat studium Generale, & universitas existat studii Generalis tam in Theologia, quam in iure, Canonico, Civili, & Medicina, quam quavis alia licita facultate, in quibus sicut in Parisiensi, Bononiensi, Avenionensi, Senensi, & Andegavensi Generalibus studiis, Ecclesiastici quicumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentes, & Laici Magistri, & Doctores doceant, & studere volentes undecumque fuerint, studeant, & proficere, ac benemeriti Baccalaureatus, licentiæ Doctoratus, & Magisterii, & quoscumque alios gradus recipere illis sic benemeritis impendi valeant, atque possint.

§. 3. Volentes, & ordinantes, quod Venerabilis Frater Guillelmus modernus, & pro tempore existens Episcopus Nannetensis sit studii, & Universitatis huiusmodi Cancellarius, qui aut per eum, seu Sede Nannetensi Vacante per Capitulum quo ad hoc deputatus Vicarius in qualibet dictarum facultatum commendabilis vitæ, Scholaribus quos ad hoc Rector studiis, Regentes Magistri, sive Doctores facultatis, in qua graduati singuli postulabunt, seu major pars eorum idoneos reputaverint, Baccalaureatus, & licentiæ gradus conferat, ac singuli ipsius studii Magistri, sive Doctores in facultatibus, in quibus ibidem rexerunt alii cum rigore examinis licentiatis quibuscumque Magisterii, sive Doctoratus insignia de consilio, & assensu aliorum Doctorum, sive Magistrorum præfate facultatis inibi impendere, sive dare valeant, & ex tunc illi qui insignia huiusmodi receperint, licentiam habeant tam in prædicto, quam ubique terrarum quocumque alio studio, absque alio examine, aut approbatione legendi, docendi, & cetera faciendi, quæ Magistri, & Doctores in altero dictorum Studiorum facere possunt, ac quod ipse Cancellarius, seu Vicarius, & qui pro tempore Rector ipsius Studii fuerit, & Doctores inibi residentes vocatis secum, in competenti numero, prout eis videbitur de qualibet facultate, aliquibus licentiatis, & Scholaribus providis dicti Studii Nannetensis, ac duobus ad minus de Ducis Britannicæ pro tempore existentis consiliariis pro felici directione dicti studii salubria statuta, & ordinationes concedere possint. Super quibus omnibus & singulis auctoritate Apostolica, & ex certa scientia facultatem, & etiam potestatem concedimus per præsentem.

§. 4. Præterea omnibus, & singulis Magistris, Doctoribus licentiatis, Scholaribus, & studentibus, ac studere volentibus, licentiam elargimur ad ipsam Civitatem Nannetensem accedendi, & inibi legendi, docendi, & studendi, ac gradus,

& insignia huiusmodi modis præmissis recipiendi, & impendendi, necnon ipsis pro tempore regentibus, vel studentibus, & qui gradus, vel insignia huiusmodi receperint. Quod ipsi omnes, & singuli omnibus, & singulis prærogativis, privilegiis præminentibus, antelationibus, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, & indultis per nos, & Prædecessores nostros Romanos Pontifices, & aliis quavis Apostolica Ecclesiastica, vel mundana auctoritate, sive potestate quovis modo concessis, & ab eis emanatis. Quorum omnium, & hac desuper confectarum litterarum, & inde secutorum quorumcumque formas, continentias, & tenores, ac si de illis, & eorum singulis specialis specifica, & expressa mentio, & designatio, necnon tenorum eorumdem de verbo ad verbum insertio facta foret, præsentibus haberi pro expressis quibus Parisiensi Bononiensi, & Andegavensi Generalium Studiorum Universitates, ac in eis graduati Scholares, & Studentes uti, frui, & gaudere possint, valeant, & debeant pariformiter, & absque ulla differentia perinde in omnibus, & per omnia, ac si ille prærogativæ, privilegia, præminentia, antelationes, voluntates, indulta, libertates, exemptiones, immunitates, honores, & concessionis ipsi studio Nannetensi, ac in eo legentibus, & studentibus, & graduatis, Scholaribus, & suppositis specialiter, & expresse concessa forent, & in eorum favorem emanassent.

Hissem prærogativa, & privilegia conceduntur.

§. 5. Et insuper, ut eo ferventius ipsi Magistri, Doctores, & Studentes in dicto Nannetensi Studio erga Studia valeant insudare quo adversus eorum turbatores vivacis protectoris suffragio cognoverint se munitos, moderno, & qui pro tempore fuerit Episcopo Nannetensi præfate per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus prædictis, Magistris, Doctoribus, Scholaribus dicti Studii Nannetensis, & in illo Graduatis efficacis defensionis, protectionis, auxilio, & præsidio existens, per se, vel alium seu alios faciat eisdem Magistris, Doctores, Graduatos, Scholares, & Studentes, præmissis prærogativis, privilegiis, præminentibus, antelationibus, voluntatibus, concessionibus, honoribus, & indultis pacifice, & quiete uti, frui, & gaudere. Nec permittat illos contra ea, & præsentium nostrarum litterarum continentiam, & tenorem, vel alias, a quoquam quavis auctoritate etiam regali, aut Archiepiscopali, vel alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeat dignitate impeti, seu etiam indebite molestari, contradicere quolibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia quibuscumque appellacionibus postpositis compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii Secularis, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papa octavi Prædecessoris nostri illa præfatum, qua cavetur ne quis extra suam Civitatem, vel Diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in